

demiaë Rector, D. Casparus Bitschiüs
 J.C. adfuit; & præterea D. Melchior
 Sebiziüs, quo brabeuta in magna
 lectissimorum hominum frequen-
 tia, Medici Doctoratus infulâ, eo-
 dem illo mane fuerat ornatus: & D.
 Isaacus Malleolus, cui in Professione
 Mathematica, seu vicarius, seu pro
 re nata successor, Academici Consi-
 lii decreto, superiori mense designa-
 tus erat: & denique frater ejus Fri-
 dericus. Ego, prout imperasti, vices
 tuas qualitercunque sustinui, adju-
 tus ab optimo fratre tuo Christo-
 phoro, & filio Ludovico. Sponsæ
 cum ornamento, tum præsidio fue-
 runt ornatissimæ matrone, Margare-
 tha Soror, & patrima tua, D. March-
 trencheri uxor. Mea enim, quam
 pronubam itidem adesse voluisti,
 hoc non potuit, secundo partu
 filiolum nuper enixa, cujus initia-
 tione